



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XVIII. [Diluitur argumentum Dvodecmvm.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## CAP V T XVIII.

**D**ODECIMVM argumentum. Hoc mysterium destruit tria principia naturaliter nota. PRIMO illud principium; Omne est, vel non est: nam paternitas est idem re cum essentia, essentia idem re cum filiatione, ergo paternitas est idem re cum filiatione, & tamen non est idem re cum filiatione si ab illa distinguitur realiter. SECUNDO illud principium; quæ sunt eadē vni tertio, sunt eadem inter se: nam paternitas & filiatio sunt eadem res cum essentia, & tamen non sunt eadem res inter se. TERTIO syllogismum expositorium: nam cùm dicitur, hæc essentia est Pater, hæc essentia est Filius, ergo Filius est Pater, bene videtur concludi, & tamen falsum concluditur, si fides est vera.

Respondeo ad PRIMVM, negando primam consequentiam, quia essentia habet se per modum termini communis. quia licet singularis sit, tamen verè est in pluribus suppositis. Quare in prædicationibus fungitur munere vocis vniuersalis, ut S. Thomas annotauit in I. p. q. 39. art. 4. ad I. Quemadmodum igitur hic syllogismus non valer; Homo est idem re cum animali, animal est idem re cum equo, ergo homo est idem re cum equo: ita nec iste valer; Paternitas est idem re cum essentia, & essentia idem re cum filiatione, ergo paternitas est idem re cum filiatione.

Ad SECUNDVM dico, eam Maximam non esse veram vniuersaliter, nisi quando aliqua sunt eadem vni tertio adæquatè, sicut in Mathematicis, vbi si duæ lineæ sint æquales vni tertiae, vniuersaliter erunt æquales inter se, quia ibi est summa adæquatio.

At verò si dicas, homo & equus sunt idem re cum animali, ergo & inter se, non valet, quia homo & animal non sunt idem re adæquatè; ita etiam essentia & paternitas non sunt idem adæquatè, quia essentia ad plura se extendit. Nec est verum, istam Maximam esse fundamentum totius discursus humani, si nullæ addantur limitationes. alioqui frustrè essent tot figuræ, & modi syllogismorum, quibus explicatur quomodo coniungi debeant duo extrema cum medio, vt possit concludi esse etiam inter se coniuncta. Adde, quod eti-

am si

atnisi illa Maxima esset vniuersaliter vera in rebus finitis, non propterea deberet esse vera in Deo infinito: nam si anima rationalis, quia spiritualis, naturaliter est in pluribus partibus corporis realiter distinctis, nec valet iste syllogismus manus & pedes sunt idem loco cum anima; sunt ergo in unius loco inter se: quanto magis Deus, qui est infinitus spiritus, poterit esse simul in pluribus suppositis.

Ad TERTIUM nego esse syllogismum expositoriū: nam (hæc essentia) habet se per modum termini communis, vel etum est. Quare sicut non valet, aliquis homo est Petrus, aliquis homo est Paulus, ergo Paulus est Petrus, ita non valet hæc essentia est Pater, hæc essentia est Filius, ergo Filius est Pater. Atq; hactenus quidem de distinctione Trinitatis generatim differuimus. Nunc speciatim de distinctione Patris à Filio differemus, quæ erat pars quarta propositi disputationis.

### C A P V T X I X.

#### *An Filius Dei sit autotheos. Istes Deus*

**F**AT NOVA quædam hærefis, quæ nescio aut hinc an solū in verbis. Genebrardus enim lib. I. de Trinitate, refellit ex professo hæresim quam vocant autotheanorum, id est, eorum, qui dicunt, Filiū esse Deum à seipso, non à Pare, & hanc hæresim tribuit Calvino & Bezae. & in præfatione eorum librorum suscipiunt Franciscum STANCARVM auctorem primum huius hæresis fuisse. Gulielmus etiam Lindanus in secundo Dialogo, qui inscribit, Dubitantius, & Petrus CANISIVS præfatione libri S. Ioanne Baptista, eundem errorem Calvino attribuunt. Et quo errore aperte sequitur, aut Filiū non distinguitur naturaliter à Pare, qui est error Sabellij; aut certè distinguendam naturam, & non esse Filium Dei, sed aliud quoddam corporiū; qui error accedit proximè ad Manicheismum, quem igitur quid de tota hac re sentiam.

PRIMVM in Stancaro nihil tale inuenire potui, fateor me men, men non legisse omnia ipsius opera, sed ea solū, quæ de Trinitate, & mediatore scripsit. CALVINVM existimo, quod ad modum loquendi, sine dubio errasse, & dedisse occidere.